



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 86. Procerum quamplurimi penes Regem trucidati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI

A.C. 1525.

sanguine manans tanto impetu mediam aciem, cui ipse Rex præerat, invasit, ut Gallorum acies intaurari haud amplius posset.

§. LXXXVI.

Procerum quamplurimi penes Regem trucidati.

In turbato hoc rerum statu nil reliquum erat, quam ut illi, qui animi fortitudine, ac pio in Regem affectu ceteris eminebant, Franciscum cingerent, eumque valide tuerentur. Ex his quanto citius cadebant ante Regis oculos egregia morte defuncti Palicius, Trimollius Dux, Galeatius Sanseverinas supremus Franciæ Armiger, nec non alius ejusdem nominis Magnus Regiæ Magister, præter quos etiam Bonivetus occisus est, cujus obitus famam nullius luctus excepit. Quin imo referunt nonnulli, quod Borbonius furore ac vindictæ cupidine accensus studiose in occisum inquisierit, ac tandem sine armis, ac vestibus reperto exprobraverit hæc verba: O infelix, tu meæ ac Franciæ ruinæ causa fuisti. Enimvero communi omnium judicio Boniveti interitus adscribebatur promeritæ poenæ, quam ob perverfa sua consilia, & nimiam, qua Regis animum suo arbitrio

*Brantome
vie des Hom-
mes illustr.*

bitrio subjectum tenebat, potentiam subibat. Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

§. LXXXVII.

*Gallarum Rex devotus, ca-
tusque.*

Ceterum Rex inter suorum cadavera adhucdum gladium manu tenens strenue dimicabat, ubi vero per ultimas cædes fuga elabi contenderat, accurrebant nonnulli hostilis equitatus Belliduces, qui quidem Regem de facie haud noverrant, ex armorum tamen splendore virum nobilitate primum suspicabantur; unde fugientem pressius insequentes eum in quodam loco valde angusto deprehendunt, occisoque ejus equo Regem eodem ictu in terram projiciunt, non sine magno vitæ suæ discrimine; nihilominus licet crure saucius in pedes tamen sese erexit, ac ferme solus irruentibus restitit. Supervenit Pomeranus, qui Bourbonii Ducem ab illo, quo hic mota rebellionem e Galliarum regno discesserat, tempore constanter sequebatur: hic ergo Regem accessit, ac gladium stringens crebris ictibus milites cohibuit, qui Regem capturi turmatim accurrebant. Sub idem tempus Pomeranus Bourbonium accersiri jussit, ut Franciscum Galliarum Regem captum exciperet. Ve-

*Mem. du
Bellai l. 2.
Ferron. in
Francis. I.
Ant de Vera
hist. Car. V.
p. 110.*